

tatis et incrementum' ¹. Sane cum sicut accepimus, quod dilectus nobis in Christo honestus vir Henninghus de Rode, oppidanus in Quedelingborch, et honesta Hanna, ejus legitima, nostre diocesis, zelo pietatis inducti perpetuum altare sive vicariam perpetuam in ecclesia parrochiali sancti Blasii ibidem in Quedelingborch erigere et fundare ⁵ ac certis redditibus, secundum quod deus ipsis juxta rerum suarum facultates attribuet et inspiravit, presertim cum duodecim marcis nigris Quedlingburgensis warandie pro trecentis florenis Renensibus annuatim apud consolatium opidi Quedelingborch sub contractu reempcionis legitime emptis dotare et ampliare desiderant, de quibus persona ydonea, ¹⁰ cui in beneficium successuris temporibus conferretur, competenter sustentari possit, cujus collatio sive presentatio post obitum sui et uxoris ad providos proconsules et consules Quedelingborghenses perpetuis temporibus debeat permanere, nobis humiliter per memoratos proconsules et consules supplicantes, ut eis in premissis et ad ea implenda nostram ¹⁵ voluntatem et auctoritatem adhibere dignaremur pariter et consensum: nos precipue primum et ante omnia profecto desideranter exquirimus et ad id mentis nostre attente destinamus affectum ac circa illud diligenti studio et studiosa pastorali diligentia vigilamus, quod ad divini numinis gloriam, exaltationis fidei katholice et fidelium animarum ²⁰ spectat incrementum, ut apostoli prenominati altare perpetuum in dicta parrochiali ecclesia sancti Blasii, salvo tamen rectoris parrochialis ibidem consensu, erigere instaurare atque cum dictis duodecim marcis nigris Quedelingborgensibus atque ipsa totali capitali summa supratacta dotare necnon idem altare persone habili et ad id ydonee casu ²⁵ vacationis occurrenti, quociens opus fuerit, canonice conferre et hujusmodi personam habilem archidyaconatus pro installatione canonica obtinenda legitime perpetuis futuris temporibus ordine premissis presentare et hujusmodi obtentu idem altare in honore sanctorum Bartholomei, Jacobi majoris, apostolorum Fabiani et Sebastiani, Odolrici, Erasmi, ³⁰ decem milium militum inclitorum martirum et sancte Gertrudis virginis dicti altaris patronorum fundare ac alia in premissis et circa ea quomodolibet necessaria facere et adimplere valeant, fuimus ad id humiliter cum instancia requisiti, nos vero ipsorum supplicacionibus inclinati primum rectorem dicti altaris ad quatuor missas septimanatim ³⁵ de tempore aut prout alias idem rector secundum deum poterit seu devocionem habuerit asstringentes addicientes etiam expresse, quod, si tractu temporis capitalis summa predicta restitueretur, extunc eadem apud edes sacras eousque deponatur, quod cum eadem summa de consensu rectoris ejusdem altaris eque certi redditus de consilio patronorum ⁴⁰ ejusdem beneficii valeant bono ordine comparari; quibus salvis omnia et singula premissa et eorum quodlibet divisim previa dicti altaris consecracione approbamus ratificamus et cum interposicione nostri decreti confirmamus volentes etiam et expresse decernentes, quod red-

1) Lib. Eccli. XXIV, 41 — 42: Exivi de paradiso, dixi: Rigabo hortum meum plantationum et inebriabo prati mei fructum.